

Luc. 15. 20. propositum ; ut iste : *Et surgens venit ad patrem suum.*

## PUNCTUM IV.

Ibid. Reddit gratiam. Excipitur à patre : *Cùm adhuc longè esset , vidit illum pater ipsius , et misericordiâ motus est.* Cùm adhuc in peccato esset , et respiscere cogitaret : imò ante hoc , ( quomodo enim cogitaret , nisi Deo præveniente per gratiam ? ) jubet Christus reddi *stolam primam* justitiæ ; *annulum in manus* , ad exercitium honorum operum ; *calceamenta in pedes* , ad mortificationem pravorum affectuum ; et convivio adhibet sui sacratissimi Corporis : atque hæc omnia agit significatione maximâ lætitiæ. Quid tunc filius , quando non inter mercenarios se receptum , sed in priorem statum , videt ?

## PUNCTUM V.

Invidia aliquorum. Num. 11. 29. Quòd senior filius ægrè fert. Sic innocentes quidam solent indignari ob indulta dona peccatoribus ; defectu videlicet humilitatis et caritatis : cùm potius dicere deberent id , quod Moyses : *Quis tribuat , ut omnis populus prophetet , et det eis Dominus Spiritum suum !* Deinde , per hoc responsum senioris , voluit Christus declarare tantam esse misericordiam Dei erga peccatores , ut possit invidiam provocare in ipsis justis : tametsi illi , divina consilia venerantes , acquiescunt.

Et tandem obedientem filium mirificè solatur :

*Fili ! tu semper mecum es , et omnia mea tua sunt :* quid ergo est , quod de stolâ et vitulo queraris ? Tale est hoc , ac quod de ove perditâ : *Majus gaudium* Luc. 15. 7. *erit in Cælo , etc.* Nec ideò præjudicatur justis , qui non indigent pœnitentiâ.

## MEDITATIO L.

De Saucio à latronibus. Luc. 10.

## PUNCTUM I.

HOMO hic est quivis Adæ filius , qui cùm esset in gratiâ , et civis Jerusalem cœlestis , descendit in Jericho , ( quod lunam significat ) , per affectum rerum caducarum. Hic *incidit in latrones* ; hoc est , dæmones insidiatores , et apertos etiam invasores , qui mundi , et carnis nostræ ministerio utuntur , ad nos perdendos ; nempè operâ mundanorum hominum , et nostris appetitionibus. Expoliant bonis : caritate , et aliis donis Spiritûs sancti , eam comitantibus ; et nominatim , alium , aliâ virtute ; aut castitate , aut patientiâ , etc. , vel etiam ipsâ fide , ac spe ; cùm obesse quàm plurimum intendant , dicentes : *Exinanite usque ad fundamentum in eâ.* Et *plagis impositis abierunt.* Plagæ sunt , quæ ex peccato manent in potentis : obstructio intellectûs , debilitas voluntatis ad resistendum vitis , inordinatio passionum. *Semivivo relicto* : cum solâ fide , et lumine naturali. Hunc me fuisse cogitabo.

## PUNCTUM II.

Qui non subveniunt. *Luc. 10. 32.* Qui sunt illi transeuntes? *Sacerdos et Levita* sunt, qui, licet in dignitate positi, non valent subvenire (tale vetus sacerdotium): vel qui propriis commodis intenti, non tanguntur aliorum miseriâ: vel qui satis esse putant, si ipsi periculum vitent suum. Denique nulla pura creatura potuit remedium afferre. Samaritanus autem (quod significat custodem desertorum), est Filius Dei; qui ex cœlesti Jerusalem veniens in hunc mundum instabilem, et ut homo, ingrediens per vias communes, absque peccato, proque Samaritano in contemptum habitus, nostrî miserus est.

## PUNCTUM III.

Appropinquat peccatori. *Luc. 10. 34.* Ligat vulnera. Infundit vinum. Tollit peccata. Quid egit Samaritanus? 1. Appropriavit ipse vulnerato, cui non erant vires surgendi, vel accedendi ad medicum. Talis est peccator ex se; nec juvare se potest, nisi præventus gratiâ. 2. *Appropians, alligavit vulnera*; exterso cruore, cohibens ulteriorem fluxum; quod est ab affectu peccati cessare, non solum ab actu. 3. *Infudit oleum et vinum*; ex vasis sacramentorum, quæ de Cœlo attulit: oleum misericordie leniens, et vinum caritatis confortans. Tale etiam est Verbum Dei, partim blandè alliciens, partim perstringens, ut parturiamus Spiritum salutis. 4. *Ponens illum in jumentum suum*, (transferendo in se peccata nostra, et opportunis auxiliis debiles

adhuc ex plagis sublevando,) ducit in stabulum; abducit ex viâ, et peccandi occasionibus subtrahit: inducitque in diversorium Ecclesiæ, vel etiam in tutum hospitium religionis; et curam ejus egit, tanquàm Pater amantissimus. Non deserit quos justificat.

5. Alterâ die, quando tempus fuit redeundi ad cœlum undè venerat, protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: *Curam illius habe*; substituit sibi vicarios, et suppeditavit sumptum ad curationem. 6. Duo denarii sunt scientia et potestas. Hortatur autem, ut non solum curam adhibeant necessariam, et quam ex officio tenentur; sed ut exquisitam, supraque debitum: id enim ipsis ad præmium fore. Tanta est Christi sollicitudo de incolumitate nostrâ. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

## PUNCTUM IV.

Conclusio: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? Qui fecit misericordiam in illum. Vade, et tu fac similiter.* Vult ut invicem id officium præstemus in necessitatibus, tam corporis, quàm animæ, pro nostrâ facultate; et se, in exemplum, insinuat redditurum: *Mensuram bonam et superfluentem.*

Nota. Hæc parabola potest considerari, vel de genere humano percusso, et spoliato in Adamo per peccatum originale; vel de quovis peccatore, ratione peccati actualis proprii.

## MEDITATIO LI.

De Servo debitore decem millium talentorum. Matth. 18.

## PUNCTUM I.

Peccator debitor. **TEMPUS** rationis reddendæ est punctum mortis. Solet tamen citius præmonere nos Dominus, inspirando, vel morbo, vel aliter visitando. Et tunc melior spes est componendæ rationis; et interest ut in vitâ fiat, quod est misericordiæ tempus. *Decem millia talenta* deberi dicuntur, quando quis oneratus est peccatis. 1. Quia sunt contra decem præcepta; et quando etiam contra unum, *factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit et: Non occides:* ac proinde in singulis offenditur legislator. 2. Quia sunt innumerabilia; et eò magis, si venialia adnumereres. 3. A gravitate, sunt instar talenti; quia contra infinitam Dei bonitatem, et eximia beneficia; et in conculcationem sanguinis Christi, et interitum animarum ab eo redemptarum, et destructiva donorum gratiæ. 4. Quòd nec pro uno potest homo satisfacere; cum per peccatum constituatur inimicus Dei, et debitum sit infinitum ab offensi dignitate. 5. A pœnâ; quâ dignus est, ut ipse, uxor, filii, et bona dividantur. Quis non exhorrescat peccatum?

Matth. 18.  
24.

Jac. 2 10  
et 11.

## PUNCTUM II.

*Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Aptè <sup>Matth. 18. 26.</sup> servus iste egit ad obtinendam remissionem. 1. Agnoscit sincerè debitum. 2. Humiliat se, *procidens ad pedes.* 3. Orat instanter, ut sibi detur tempus satisfaciendi. 4. Proponit, ac promittit se omne redditurum. Id fit intervenientibus meritis Christi, et gratiâ. Faciam similiter. Vide Domini bonitatem: *Misertus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.* <sup>Matth. 18. 27.</sup> Plus facit, quàm patebatur; revocatâ sententiâ de ipso, et cæteris vendendis: nec modò moram concedendo solutioni, sed planè condonando: utiquè quoad culpam et pœnam æternam, pro quibus satisfacere nequimus. Remittit etiam temporalem, pro contritionis fervore. Tam bonus et misericors Dominus est; quo nobis tam miseris valdè opus erat.

Matth. 18.  
27.  
Omnia  
Deus remittit.

## PUNCTUM III.

Idem servus, tanto beneficio affectus, *invenit unum de conservis suis qui debebat ei centum denarios; et tenens suffocabat eum.* <sup>Matth. 18. 28.</sup> 1. Solet unus homo alteri esse debitor, quia facile contingunt offensiones, verbo aut facto, pro humanâ fragilitate. Et habent inde justam materiam virtutis, ex corde orando: *Dimitte nobis, sicut et nos.* Sed ista debita, præ nostris erga Deum, instar sunt paucorum denariorum, respectu millenorum talentorum; et adeò etiam minora, quòd injuria ab excellentiâ offensi æstimetur; et quæ

Plus Deo  
debes  
quàm tibi  
proximus.

Crudeli-  
tas servi.

fit Deo , infinita. 2. Magna extitit servi crudelitas , quòd tam violenter invasit ; quòd supplicem , et iisdem verbis deprecantem repulit ; quòd trusit in carcerem ; quòd non habuit rationem Domini communis , et qui ipsi indulserat : cui sine dubio ingrata erat futura illa vis. 3. Dicitur , quòd *egressus* à Domino ista perpetravit ; extra illius positus conspectum. Sic nos , cum oblivioni Deum tradimus : quòd sit inspector , iudex , benefactor tam eximius.

Oblivio  
Dei.

## PUNCTUM IV.

Narratur factum Domino ; qui et severè animad-  
Mat. 18. vertit : *Conservi contristati sunt*. Sic justi ob injuriam  
31. proximi tristantur ; ex affectu in læsum , lædentis damno , et Dei offensâ ; *Conservi narraverunt Domino*. Et ille ipse dolor , quem concipiunt justi de talibus , clamor apud Deum. *Tunc vocavit illum Dominus suus*. Fit , ut , ob quædam peccata , Deus acceleret tempus reddendæ rationis. Et absque hoc , versari semper deberet ante oculos illud ultimum tempus , alioqui  
†. 34. incertum. *Iratus... tradidit eum tortoribus , quoadusque redderet universum debitum*. Ita provocat iram Dei , et exacerbatur ingratitude acceptæ remissionis ; quandò propter Deum non exhibemus similem benignitatem proximis.

## PUNCTUM V.

†. 35.  
Injuria  
cui con-  
donanda.

Conclusio : *Sic et Pater meus cælestis faciet vobis , si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus ves-*

*tris*. Tanta est caritas Dei erga hominem , ut velit omnes similiter invicem se amare. Et indicantur quatuor causæ hoc faciendi. 1. Quia Pater cælestis ita jubet. 2. Quia sumus fratres inter nos. 3. Quia unusquisque habet quod ab alio sibi remittatur. 4. Quia ipse Pater remittit nobis tantò majora. Accedit severitas divinæ ultionis , ni fiat.

## MEDITATIO LII.

De Villico. Luc. 16.

## PUNCTUM I.

HOMO dives est Deus ipse ; cujus sunt omnia  
Luc. 16. 1. tum quæ ad corporis vitam , et oblectationem fa-  
Deus di- ciunt ; tum bona gratiæ et gloriæ , quæ ad animam  
ves dat. præcipuè spectant. *Villicus* est quilibet homo ; cui ita Deus bona corporis et gratiæ tribuit , ut rationem reddere debeat de illorum usu ; qui debet esse juxta Dei voluntatem. Quare dissipator est , qui secus illis utitur. *Diffamatur* autem de dissipatione , non ex rumore hominum , sed ex facto ipso , quod Deum non potest latere.

Homo  
villicus.

## PUNCTUM II.

Exigitur ratio à Villico , et exiitur officio : *Redde*  
Luc. 16. 2. *rationem : jam enim non poteris villicare*. Fit aliquando  
Accelerat ut Deus , provocatus peccatis , prævertat tempus ra-  
Deus jus- tionis reddendæ. Unde ait : *Ne impiè agas multum* ,  
tit a diem quæ.  
quando-

*Ecll.* 7. et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Contingit autem duobus modis; vel absque præmonitione, non dato tempore præparationis; vel dato: quod petebat David: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Atque tunc Villico Dominus agri: *Quid hoc audio de te?* Quo dicto repræsentabat nobis universa peccata, et vitæ remissionem. Idipsum dicit, in abscessu animæ Deus, quando non est amplius pœnitentiæ locus. Sed quàm terribile illud: *Redde rationem villicationis tuæ;* in quo quàm multa continentur! *Venit nox, quando nemo potest operari:* et, omnes nos manifestari oportet ante tribunal Dei: *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit; sive bonum, sive malum.*

Reddes  
rationem.  
*Juan.* 9. 4.  
*2 Cor.* 5.  
10.

## PUNCTUM III.

Villici commentum. Non commendat Christus fraudem, sed industriam et studium consulendi sibi-met, quo incitari oportet: estque nobis ad confusionem, qui tam studiosi non sumus pro animæ salute. Quod ait: *Fodere non valeo,* ad asperum vitæ genus referri potest; et mendicare erubescere, ad vitam contemplativam; quæ est assidua oratio, et quasi mendicatio à Deo. Monet Christus, ut qui hæc subtiliora nequit, saltem benè aliis faciat quomodo potest, vel in corporalibus, vel in spiritualibus, *juxta Pauli consilium: Exerce te ipsum ad pietatem: nam... pietas... ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Divitias autem vocat Christus *mammona iniquitatis,* quamvis licitè ac-

*Tim.* 4.  
7 et 8.  
Divitiæ  
mammona.  
*Luc.* 16. 9.

quisitas; quia iniqui tantum in eis felicitatem ponunt: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt;* vel, quia fortè sunt instrumenta peccandi: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva.* Possunt tamen servire salutem. Undè ait Dominus: *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis;* et Tobias: *Fiducia magna erit coram summo Deo, omni facienti eleemosynam;* et: *Conclude eleemosynam in corde pauperis;* et hæc pro te exorabit ab omni malo. Quare Paulus Timotheo: *Divitibus hujus seculi præcipe non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo; divites fieri in bonis operibus, facile tribuere.*

*Psal.* 143.  
15.  
*1 Tim.* 6.  
9.  
*Tob.* 4. 11.  
*Ecll.* 29.  
15.  
*1 Tim.* 6.  
17.

## MEDITATIO LIII.

De Publicano et Pharisæo. Luc. 18.

## PUNCTUM I.

AFFECTUS superbæ in Pharisæo. 1. Quòd se <sup>Aelus su-</sup>putat perfectum. Undè nihil petit: nec veniam peccatorum; nec gratiæ augmentum, aut conservationem. 2. Quòd prætextu gratiarum, commendat seipsum ab operibus bonis. 3. Quòd se præfert aliis. 4. Quòd exilia sua opera bona cum sceleribus aliorum confert: et opera tantum externa, quæ jactantiæ causâ faciebat, uti *sepulcrum dealbatum, intus* <sup>Matt. 23</sup> *plenum omni spurcitiâ.* 5. Quòd contemnit alios, etiam eum, qui secum orabat, quem temerè judicat. Tam

27.

Apoc. 3. est cæca superbia. Talis ille, qui dicebat: *Dives sum et nullius egeo*; cui respondetur: *Et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus*. Hi vident festucam in oculo fratris sui; *trabem autem quæ in oculo suo est non considerant*.

## PUNCTUM II.

Actus hu-  
militatis.  
Luc. 18.  
13. Humilitas publicani. 1. *A longè stans*, indignum se reputabat propinquare Deo; vel etiam Pharisæo. 2. *Nolebat nec oculos ad cælum levare*; præ pudore, ob sua peccata. 3. *Percutiebat pectus suum*; ex animo contrito, et cupido satisfaciendi. 4. Veniam sibi petit, se solum considerans peccatorem. 5. Paucis orat; confidens de misericordiâ Dei, qui non exaudit in multiloquio: *Deus propitius esto mihi peccatori*.

## PUNCTUM III.

\* 14. Sententia Christi de utroque: *Descendit hic justificatus in domum suam, ab illo*. 1. Decernit Dominus, non ex verbis, sed ex affectu cordis utriusque. 2. Effectus superbiæ est, inanes reddere virtutes; humilitatis autem, destruere peccata, interveniente pœnitentiâ. 3. Universè: *Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur*. Id verum in omni statu et conditione hominum. Contingit autem, tum in hac vitâ frequenter, tum maximè in alterâ, et verò tunc semper, ut qui in hac se humiliat, in illâ exaltetur.

## MEDITATIO LIV.

De Operariis conductis. Matth. 20.

## PUNCTUM I.

PATERFAMILIAS est Deus; qui licèt amplum regnum possideat in Cælo et in terrâ, tamen eò dicitur Paterfamiliâs, quòd singulis itâ providet, ac de minutis itâ disponit, atque si parvæ præseset familiæ. Deindè, quia parabola sumitur à re domesticâ, familia est fidelium congregatio, et præcipuè justorum. Operarii autem sunt, qui eam excolunt: Prælati. Prælati et alii. Ubi nota quòd familia et vinea in idem recidunt: ac proindè fideles sunt vites, et filii-familiâs, seu Ecclesiæ filii. Undè David dicebat: *O Domine! quia ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ*. Ps. 115. 16. Quin operarii dici possunt singuli fideles. Conducit operarios ipse Deus; quia *nemo venit ad Christum, nisi Pater traxerit eum*. Utitur autem mediis: *Exiit primo mane*: quia ex quo incipit lumen rationis lucere in hominibus, eos vocat; licèt plerique detrectent. Nec tamen omittit iterùm atque iterùm vocare, per omnes ætates. Et allicit alios ut mercenarios, spe præmii; alios intus corripiendo, et simul mercedem suam offerendo; alios denique, veluti jubendo, ut virtuosè occupentur. Amabo hanc sollicitudinem Patris pro salute hominum; dolebo quòd multi non obsequantur, et ego aliquando restiterim.

*Exiit etiam primo mane mundi, vocare operarios; et in utrâque lege, naturæ, et scriptâ; et tandem factus homo. Rogabo, ut mittat operarios idoneos in amplas gentilium regiones, ad gloriam suam.*

## PUNCTUM II.

Christus  
judeus.  
Joan. 5. 27. Redditio mercedis. 1. Committit eum Paterfamilias procuratori suo. Hic est Christus, cui Pater potestatem dedit judicium facere, quia Filius hominis est. Et fit in cujusque vitæ fine: nam vitæ est tanquam dies quæ præterit, comparata æternitati; undè David dicebat: *Mille anni, ante oculos tuos, tanquam dies hesternæ quæ præterit*: et quia ita vivendum, ac si quotidie vocandi essemus ad mercedem percipiendam. 2. Nec unius horæ labor fraudatur mercede: quæ tamen æqualis non erit, quia *reddet unicuique secundum opera ejus*. 3. Magis fervor operis, quam diuturnitas æstimatur: quo fit, ut novissimi accipiant eundem denarium. Nam hi solent, cum majori humilitate et fervore, operari, se indignos mercede putantes: alii autem solent plus præsumere de suo merito. Hinc illi vocantur priores ad mercedem, in eo quasi accidentaliter honore cæteris prælati. Collige: Si unâ horâ tantum profecerunt, quid si ab initio venissent? Quàm beati id vellent, et primo mane paruisse vocanti, et totâ vitâ ferventer operati fuisse! Tu jam facito.

## PUNCTUM

## PUNCTUM III.

Murmuratio priorum. Non murmurabunt sancti; sed per hoc Christus declarare vult, quanti sit meritum, et gloriæ apud Deum, ferventer egisse: tale nimirum ut cæteris sanctis ad invidiam foret, si ratio statûs pateretur. Deindè indicantur proprietates remissorum. 1. Præsumunt de suis operibus ob diuturnitatem; undè dicunt: *Hi novissimi unâ horâ fecerunt*; ferventes non ita. *Et portant pondus diei et æstus*: quia remissè operantibus onerosa sunt licet non gravia opera, contrâ, ferventibus levia, quæ alioquî gravia. 2. Exaggerant suos labores. 3. Sunt mercenarii, et queruli, tacitèque obmurmurant Deo et hominibus; quasi non, pro merito suo, honorentur et promoveantur in hac vitâ. At fervidi, solo Dei amore operantes, nihil tale cogitant; sed quovis favore, divino et humano, reputant se indignos. 4. Illi sunt invidi, et obtreçant ferventibus, quasi novitiis: isti tacent, et optant omnes abundare divinis et humanis favoribus.

## PUNCTUM IV.

Conclusio: *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi*. Nam sunt, qui judicio hominum habentur primi, et alii contrâ, novissimi; cùm, judicio Dei, secus sit: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi*: multi vocantur ad fidem, et gratiam, sed pauci ob-



judicia Dei justa, ut idem contra se proferant rei. Quanta etiam hominis malitia; qui, cum ita sentiat, non tamen sibi applicat ad emendationem! <sup>Matt. 21. 43.</sup> Tum Dominus approbans, ad ipsos applicat: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Terribilis et justa sententia, quam executus est Dominus in populo suo. Exequitur etiam quotidie: dum aliis abnegantibus fidem, alios substituit; et regna ipsa, propter peccata, transfert ad alios. Ac si ego non respondero vocationi meæ, pro uno ingrato, plures sibi obsequentes suscitabit.

## MEDITATIO LVI.

*De Invitatis ad nuptias et ad cœnam.*

Matth. 22. Luc. 14.

Consentiunt ambæ parabolæ, et eodem spectant.

## PUNCTUM I.

<sup>Matt. 22. 2.</sup> *SIMILE factum est regnum Cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Rex hic est Pater cœlestis, qui naturam humanam, Filio suo, in unitate personæ mirabiliter copulavit: utique vilem et deformem; sed copulatam insignivit omni lapide pretioso: Cur non potius angelicam? Quia humana magis indigebat. Et in hoc commendatur bonitas et caritas Dei. Neque

id modo: sed Filium suum, jam hominem factum, desponsavit Ecclesiæ, (animabus fidelibus,) in fide et caritate; ornans illam, ut decebat sponsam Filii Dei. Agnosce, ô anima, dignitatem tuam! Neque id beneficium voluit esse paucorum, aut tantum nobilium; sed planè omnium, absque exceptione gradûs et conditionis.

## PUNCTUM II.

Instituit nuptialem cœnam, et misit vocare <sup>Matt. 22. 3.</sup> *invitados.* In hâc cœnâ tria proponuntur fercula. Primum, doctrinæ cœlestis, quâ intellectus illustratur, et passitur. Secundum, præceptorum et consiliorum, quibus perficiendis voluntas impinguatur, et mirificam capit delectationem. Tertium, sacramentorum, vitam præbentium, et nutrientium; quod maxime præstat Eucharistia, in quâ ipse sponsus sumitur, <sup>Sap. 16. 20.</sup> *omne delectamentum in se habens.* Ad hanc cœnam vocamur per prædicatores, et inspirationes, et alia media. Accurram avidè, ut tantis fruam deliciis.

## PUNCTUM III.

Invitati prætendunt exeusationes, quò minùs <sup>Impedi-  
menta  
tria.</sup> *veniant.* 1. *Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam.* Hæc est superbia vitæ; vanitatis, et curiositatis studium. 2. *Juga boum emi quinque, et eo probare illa.* Hæc est sollicitudo nimia temporalium. 3. <sup>Luc. 14. 19.</sup> *Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Si con-

Voluptas cessa carnis cura avocat, quid faciet in concessa?  
 Detrahen- 4. Reliqui verò tenuerunt servos ejus, et contumeliis af-  
 tes prædi- fectos occiderunt. Hoc jam crimen inexpiabile. Fa-  
 catoribus. ciunt hoc, qui benè consulentium et monentium ho-  
 Matr. 22. norem, et famam gladio linguæ concidunt, eosque  
 6. vellent perditos. In tales exandescit rex; et perdit  
 Matt. 22. homicidas illos et civitatem illorum, remque adeò om-  
 7. nem eversam succendit.

## PUNCTUM IV.

Substituuntur alii convivæ. Non frangitur divina  
 bonitas ingratitude spernentium ipsius cœnam;  
 quamvis ex iis sint, qui minimè debuerant, quippè  
 cultiores: sed pergit invitare abjectiores, qui, quòd  
 in mundo parùm habent, liberiores sunt ab impe-  
 dimentis veniendi. Jubet autem vocari *pauperes, ac*  
 Obvios *debiles, et cæcos, et claudos, et obvios* quosque;  
 vocat sine respectu *et debiles, et cæcos, et claudos, et obvios* quosque;  
 respectu *et debiles, et cæcos, et claudos, et obvios* quosque;  
 conditio- *et debiles, et cæcos, et claudos, et obvios* quosque;  
 nis. *et debiles, et cæcos, et claudos, et obvios* quosque;  
 Luc. 14. *et debiles, et cæcos, et claudos, et obvios* quosque;  
 21. *et debiles, et cæcos, et claudos, et obvios* quosque;  
 23. *et debiles, et cæcos, et claudos, et obvios* quosque;

## PUNCTUM V.

Rex discumbentes lustrat: *Et vidit ibi hominem* Sola fides non vestitum veste nuptiali. Hæc est caritas et justitia, sine quâ non est accumbendum huic mensæ, præsertim Corporis Domini. Imò quicumque intra Ecclesiam est, et de bonis illius participat, si ad finem mundi aut vitæ suæ fuerit repertus absque caritate, quandò Dominus visitatum venerit, expelletur foràs, et projicietur in tenebras exteriores. Sed quomodo inter tot, unus tantùm inventus absque tali veste? Significatur, quòd nemo effugiet divinos oculos, etiamsi vel unicus sit inter innumerabiles: et tantum id esse malum, ut, si vel unicus ex omnibus projiciendus foret, sufficeret ut omnes contremiscerent. Quid autem, quandò contrà accidet, ut paucissimi salventur præ numero pereuntium? Deniquè quis ferat illam objurgationem? *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Matt. 22. 12. undè tantum ausus? O quanta confusio futura est tali, in præsentia angelorum et sanctorum! Et ad hæc *obmutescet*: quomodò enim excuset? *Obmutescam ego nunc à propria conscientia redargutus, ac emendationem vitæ meditabor.* Deum nemo effugiet.

## PUNCTUM VI.

Sententia in reum: *Ligatis manibus et pedibus, mitte eum in tenebras exteriores.* Pœna. Matt. 22. 23. Pœna quadruplex.

1. Perpetui carceris, in quo vincietur. 2. Obstinationis, *ligatis pedibus*, ut nullos affectus bonos concipiat; et *manibus*, ne bona operetur: siquidem in hâc vitâ mortali, fuit inordinatis passionibus obnoxius, et ad bona opera præpeditus. 3. Horribilium tenebrarum; quod visionis Dei clarâ luce privabitur, et iudicii lumen in illo tenebrescet; sed et corporeæ tenebræ offendentur, quando ignis ille infernalis uret, sed minimè lucebit. 4. *Ibi erit fletus et stridor dentium*: flebit damnatus, quia tanti boni jacturam fecit; et crucians malum, lacrymas exprimet irremediabiles.

## MEDITATIO LVII.

De decem Virginibus. Matth. 25.

## PUNCTUM I.

IN Ecclesiâ sunt boni et mali, prudentes et insipientes; et utriusque adventum Christi sponsi expectant, ad nuptias cum Ecclesiâ triumphante celebrandas. Fatui similes sunt, qui lampades habent, sed non oleum, ad fovendum lumen. Veritates fidei tenent, sed non caritatem; lucent exterius per opera quædam, sed internâ virtute carent; sunt integri corpore, sed non spiritu; profitentur perfectionem, à quâ longè absunt. Quidni stultus sit, qui iudicem

Fatui,  
qui?

omnia pervidentem, et præsertim interna requirentem, non aliter paratus expectat? Contraria omnia faciunt prudentes.

## PUNCTUM II.

*Moram faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.* Mora fit, quia boni et mali ferè sibi persuadent longiorem vitam, et, ut David loquitur, *annos æternos in mente habent.* Undè boni remissius vivunt, et mali peccant liberiùs; quod est dormire: *Surge qui dormis, et illuminabit te Christus.*

Item dormitio vocari potest ægrotudo, aut senectus, aut alia causa disponens ad mortem; cujus imago quædam est ipse somnus. Privat enim usu delectabilium, ut mors; et quamvis repellatur, tandem obruit vigilantem. Cùm me ad somnum compono, mortis memoriam revocabo.

*Mediâ autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei: cùm minimè cogitatur, ex improviso.* Proindè hanc vocem insonare auribus meis assidue curabo. Venit autem ut sponsus, prudentibus; at stultis, ut iudex. Eandem vocem audire mihi videor, cùm ad sacram communionem accedo.

## PUNCTUM III.

Adventus sponsi. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ.* Surgent fatuæ in adventum sponsi, et quasi ex somno gravi experrectæ circumspicient seipsas.